

COMPOSITIONES CXXXV–CXXXIX

CXXXVI. Purgat ergo belle chamelea herba, quae olivae folia similia habet, quorum quinque vel sex dare oportet trita ex aquae mulsae cyathis IIII frigidae, si adsuetus erit, sin minus calidae, adiecto salis cocleario: detrahit enim aquam largiter.

5 Biles purgat et filicis radix lota et rasa atque in minimas particulas concisa quantum placet aceto aspersa, cocta ut solet, et ita cum panis pondo quadrante consumpta.

CXXXVII. Bene purgat et haec compositio: aloes victoriati pondus, colophonei victoriati pondus una teruntur; adiecitur mellis quod satis est 10 ad colligenda ea. datur ex aquae calidae vel frigidae cyathis quattuor. hoc medicamentum stomachum non conrumpit.

Globuli mirifice purgantes, qui ut sumuntur, ita
integri deiciuntur nec laedunt stomachum

CXXXVIII. Colophonei X p. VIII, bdellae X p. II, commis X p. I.
15 haec trita suco lactucae colliguntur et finguntur pilulae fabae magnitudinis. dantur a tribus pilulis usque ad septem prout unius cuiusque vires patiuntur.

Globuli, qui etiam cenatis dantur et efficiunt mane
deici, quod satis sit

20 CXXXIX. Colophoniae X p. III, aloes X p. IIII, tragacanthi X p. II. hoc pridie aqua maceratur, postero die ceteris admiscetur; fiunt inde globuli fabae magnitudinis. dantur a tribus usque ad septem, prout cuiusque vires patiuntur. stomachum nullo modo vexant.